

ADDIDIMUS IN FINE LIBRI DOCTUM POEMA ADRIANI CARDINALIS, QUOD IN-
SCRIBITUR VENATIO: VBI VIDEBIS IPSISSIMAM FRUGALITATEM, & PAR-
SIMONIAM, PERPETUAMQUE DE REBUS SACRIS SOLICITU-
DINEM CORYPHÆORUM ECCLESIAE
ROMANÆ.

BERNARDVS ANTICHRISTVM NON
EXPECTAT EX TRIBV DAN, QVIA
IAM REPERIT IN CLERO ROMANO.

Raritas sanctitatis, & nostra planè ætas inops virorum, &c. & vt suspicor Ego, aut præstò aut propè est, de quo scriptum est, Facilem eius præcedat egestas. Nihil fallor, Antichristus est iste, quem fames ac sterilitas totius boni, & præit & comitatur. Siue igitur nuncia iam præsentis, siue iam iamq; affuturi prænuncia egestas in euidenti est. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum huius mundi multitudinem: in ipsas Ecclesie columnas volo oculos leues. Quem mihi ostendas vel de illorum numero qui videntur dati in lucem Gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flamman-tem, &c. Nisi tu illos fortè lucere dixeris, qui quæstum æstimant pietatem: qui in hæreditate Domini, non quæ Domini, sed magis quæ sua sunt quæritant, &c. Ô deformitatem! Itane summus meritò reputandus erit, qui à summo corruens gradu hærebit vix infimo, ne è abyssò absorbeat? quàm rarus tamen iste in clero? quem item das mihi contentu mnecessariis, contemptorem super Aurorum? Lex est tamen præfixa ab Apostolis, Apostolorum successoribus: victum & vestitum habentes, inquit, his contenti simus. Vbi forma hæc? in libris cernimus eam sed non viris, &c. Optimus hodie est qui non est nimis malus.

